



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Art. V. De aliis circumstantiis, Ubi, Quibus auxiliis, Cur, Quomodo, Quando.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40650

tamen, si sit conjugatus, aut habens votum castitatis, aut confanguineus is, cum quo peccatur.

X. Septimo, si quis alium sollicitavit, & peccatum non est secutum, debet id in confessione explicari; si tamen peccatum est consecutum, putat probabiliter de Lugo, & Tambur. contra Sanch., & Bonac., non esse explicandum, quod primus invitaveris, quia, quamvis graviter peccaveris invitando, adhuc tamen es particeps peccati illius, etiamsi non invitaveris. Probabilior tamen videtur sententia Sanchez, & Bonacinae, quod explicandum sit.

Denique advertendum ad thesini 25, confixam ab Alex. VII., in qua dicitur: *Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit confessionis praecepto dicens: Commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.* Ostendimus quippe in explanatione hujus thesini, copulam in hoc casu spectare ad peccati individuationem, speciali modo participantem speciem peccati. Etenim contra eandem virtutem potest dari multiplex specie peccatum; sicut eidem virtuti iustitiae adversatur furtum, homicidium, detractio, & alia peccata specie diversa.

ARTICULUS V.

De aliis circumstantiis, Ubi, Quibus auxiliis, Cur, Quomodo, Quando.

- I. Circumstantia loci Sacri explicanda in furto; in effusione sanguinis; in effusione publica seminis; ac in violatione Ecclesiastica immunitatis.
- II. In quonam sensu furtum est sacrilegum, non solum tollendo Sacrum de Sacro, & Sacrum de non Sacro, sed etiam non Sacrum de Sacro, ita ut loci Sacri circumstantia.

tia sit explicanda?

- III. Quid requiritur, ut effusio sanguinis in loco Sacro sit sacrilega; & contra reverentiam loco Sacro debitam?
- IV. Quid pariter, ut sit sacrilega seminis effusio in loco Sacro? Num sacrilegi sint aspectus turpes, tactus, & confabulationes similes in Ecclesia?
- V. Num debeat explicari peccatum, ad quod quis pravo suo exemplo proximum induxit?
- VI. Finis operis malus explicandus est; etenim qui furatur ad adulterandum, magis est adulter, quam fur.
- VII. Num tactus, & oscula copulam subsequenter explicanda sint?
- VIII. Quinam peccati modus novam peccati speciem trahat in confessione aperiendam?
- IX. Quomodo actus moraliter interrumpantur, & tamquam nova peccata aperienda sint?
- X. Num debeat aperiiri, quod quis se exposuerit periculo peccandi, qui deinde peccat?
- XI. Aperiendane sit in confessione consuetudo peccandi?
- XII. Peccata scienter commissa non differunt specie a commissis ex ignorantia invincibili; esto propter ista non incurratur reservatio, aut censura illis annexa.
- XIII. Contemptus gravis Superioris praeter inobedientiam explicandus est.
- XIV. Num sit speciale peccatum peccare statim post communionem? Num peccet toties, quoties comedit carnes, qui vovit jejunium?

I. **C**ircumstantia loci mutat speciem peccati, & trahit ad Sacrilegium ratione irreverentiae loco Sacro illatae; Primo, si quis in loco Sacro furetur; Secundo, in effusione peccaminosa sanguinis humani; Ter-

N

tio,

tio, in effusione publica, & peccaminosa feminis; Quarto, in violatione immunitatis Ecclesiae.

II. Circa primum dico, furari in loco Sacro rem Sacram, est Sacrilegium, ex duplici titulo, ratione rei sacrae, & ratione loci Sacri. Putat tamen Fagund. cum Dian. part. 1. tract. 7. resol. 22., satis esse dicere, Commisi furtum sacrilegum, quia utrumque Sacrilegium est ejusdem speciei, & contra eandem virtutem religionis. Furari vero in loco Sacro rem profanam, verbi gratia, crumenam a divite orante in Ecclesia, multi cum Suar., Perez, & Canonistis communiter putant esse Sacrilegium, quia Joannes Papa VIII. in cap. *Quisquis inventus*, statuit universaliter esse Sacrilegium furari non solum Sacrum de Sacro, & Sacrum de non Sacro, sed etiam rem non Sacram de loco Sacro. Verum Lug., Less., Henr. probabiliter putant non esse Sacrilegium, nisi quando res non sacra posita est in Ecclesia ratione custodiae, vel securitatis; aut si sit Ecclesiae commodata: De hoc enim casu videtur loqui Joannes Papa; quia in tali casu est sub speciali patrocinio, & custodia divina; At quando per accidens est in Ecclesia res non Sacra, non videtur esse Sacrilegium. Nomine autem Ecclesiae venit sola Ecclesia, & Cimiterium, non claustra, & habitatio Regularium, aut Oratoria, quae facile redire possunt ad usus profanos ad nutum Dominorum; Est etiam Sacrilegium, si quis in confessione aliquid furetur, assumendo confessionem ut medium ad furtum.

III. Circa Sanguinis effusionem certum est, ea quae causant violationem, & pollutionem Ecclesiae, contrahere malitiam Sacrilegii ratione loci Sacri. Quare requiritur, quod effusio injuriosa Sanguinis sit magna, non modica, quia, ut notat Suar., effusio

copiosum fluxum significat. Sufficit etiam homicidium factum cum peccato mortali, etiam sine sanguinis effusione, ad violandam Ecclesiam, & ad Sacrilegium. Si quis in Ecclesia degens telo alium extra Ecclesiam occidat, putat Leand., & Fagund., quod non sit sacrilegus; secus vero, si extra Ecclesiam existens alium telo intra Ecclesiam occidat, quia homicidium consumaretur in Ecclesia.

IV. Circa feminis effusionem, est Sacrilegium desiderare effusionem feminis, quae fiat in Ecclesia, quia peccatum desiderii internum, & opus externum sunt ejusdem speciei; E contra desiderare in Ecclesia effusionem feminis, quae fiat extra Ecclesiam, non est sacrilegium; quia non quodvis peccatum, quod in Ecclesia committitur, est Sacrilegium, nisi sit cum magna irreverentia, ut si quis meretrices publice impudice tangeret in Ecclesia, vel obscenas comœdias repraesentaret; Copula conjugalis, ut docent Perez, Vasq., & alii, nunquam polluit Ecclesiam, nec est Sacrilegium, cum sit actus licitus; licet Sanch., Suar., aliique apud Leand. existiment, illam esse sacrilegam, nisi per longum tempus in Ecclesia conjuges detineantur, saltem per quatuor dies. Effusio feminis, vel Sanguinis occulta, quamvis non polluat Ecclesiam, est tamen sacrilega, juxta Sanch., Suar., aliosque contra Vasq., Hurtad. Dubium est, An tactus impudici, aspectus, & confabulationes inhonestae habitae in Ecclesia sint sacrilegae? Aliqui asserunt; plurimi negant. Demum potest iudex a gaudentibus immunitate Ecclesiae tollere arma ad vitanda facinora, ut docet Leand. Fagund. contra Dianam. Si iudex sub dolosis verbis reum ad egrediendum ab Ecclesia decipiat, non committit Sacrilegium, ex Suar., Fagund., Navar., Leand. contra Dian., & alios.

V. Quod

V. Quod attinet ad circumstantiam, *Quibus auxiliis*, hæc est circumstantia mediorum, quibus usus est peccator ad opus malum, puta, si ad occidendum Patrem induxit filium, hæc circumstantia est in confessione explicanda; quia sic habetur & homicidium, & parricidium.

Dubitant Doctores, an debeat explicari species peccati, ad quod pravo exemplo proximus inducitur? Affirmant Sanch., Suar., Vasq., & alii: Sed Lug., & Navar. apud Laym. probabiliter docent, tunc debere explicari, quando directe intenditur ruina, & peccatum proximi: Quod si solum indirecte causetur ruina proximi malo exemplo, censent, non debere explicari speciem peccati; quia hoc tantum adversatur charitati.

Qui fregit jejunium comedendo carnes, probabiliter ex Granad. contra Marcant. apud Dian. part. 5. tract. 14. resol. 56., non tenetur hanc circumstantiam explicare; quia fractio jejunii, sive fiat per esum carniū, sive per multiplicem comestionem, opponitur eidem virtuti temperantia.

VI. Circumstantia, *Cui*, est circumstantia finis, quem in malo opere sibi proposuit peccator; puta si furatus est ad adulterandum: Procul dubio hic finis est in confessione aperiendus; Nam juxta Philosophum, qui furatur ad adulterandum, magis est adulter, quam fur; quia furtum amatur ut medium, & adulterium ut finis; Unde fur simul est, & adulter, fur in re, adulter in voto.

Similiter contingere potest, ut peccatum ex se veniale ratione finis sit mortale, puta si quis mentiatur, ut sceminam inducat ad adulterandum; In hoc tamen casu satis est in confessione explicare animum inducendi sceminam ad adulterium, non explicato mendacio, utpote ex se tantum veniali; ut docent Sotus, Leand., &

alii communiter. Eodem modo, qui furatur ad adulterandum, dicere potest, commisi furtum, & habui animum adulterandi, etiam si non explicetur furtum ordinatum ad adulterium, ut diximus art. 2. num. 5. Et ita docent Navar., Leand., Perez, Dian. contra Sylvest., & alios.

VII. Quando quis utitur colloquiis, & tactibus obscœnis ad fornicandum, si non subsequatur fornicatio, debet fateri colloquia, & tactus eo animo exhibita; Quod si fornicatio subsequatur, satis est dicere, semel fornicatus sum: Si tamen post fornicationem subsequantur oscula, & tactus sine ordine ad secundam copulam, probabile est ex Navarro, Lug. & Tambur., satis pariter esse in confessione dicere, semel fornicatus sum, quia satis sic explicantur antecedentia, & consequentia, quæ solent eum actum comitari; Si vero in ordine ad secundam copulam fiant, certe sunt explicanda; quia committitur aliud numero peccatum.

VIII. Per circumstantiam, *Quomodo*, denotatur intentio, & duratio culpæ, contemptus, consuetudo peccati, ignorantia, &c.; verbi gratia, si quis post occisum hominem discepit cadaveris membra, extraxit jecur, &c., tenetur hanc circumstantiam fateri; quia supra injustitiam additur malitia feritatis, vel sevicitæ. Ita communiter contra Bonac.: Furtum etiam si fiat cum violentia, novam habet speciem malitiæ, & dicitur Rapina; furtum enim est injuria realis; Rapina vero importat etiam injuriam personalem; Unde, si fiat rapina circa res Clerici, est etiam Sacrilegium. Est autem rapina furtum cum violentia, etiam si violentia non per contactum corporalem, sed minis, & metu injiciatur: Si tamen, absente domino, fores effringantur, non dicitur rapina, cum non fiat injuria personalis.

Per se loquendo, non est necesse explicare in confessione durationem temporis in peccato; quia est circumstantia solum aggravans; unde qui per diem habuit animum occidendi inimicum, vel per annum non habuit animum restituendi, satis est, si dicat, consensu semel in homicidium; Non restitui rem alienam: Quod si actus internus sit interruptus, circumstantia interruptionis est explicanda; quia moralis interruptio multiplicat peccata, ut dicemus art. sequenti.

IX. Quomodo autem interrumpatur moraliter actus internus, variæ sunt opiniones. Equidem censeo, interrumpi moraliter non solum per actum contrarium, sed etiam per voluntariam cessationem ab illo actu interno; ut si quis voluntarie nolit amplius cogitare de pravo aliquo objecto, & applicet se libere ad alia, & postea redeat, vere multiplicavit actum internum peccaminosum, non solum physice, sed etiam moraliter. Valsq. tamen, Nugn., alique apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 95. putant, actum internum moraliter interrumpi etiam per cessationem ab illo involuntariam. Demum Fagund., Rebel., Navar. putant interrumpi moraliter per cessationem ab actu per aliquod tempus notabile, puta ex Fagund. per dimidiam horam. Quare ut his scrupulis occurratur, consilium est dicere tempus, quo quis in peccato perseveravit, & tacere interruptionem, quando eorum numerum assequi est difficile; ut advertit Tambur. lib. 2. cap. 1. §. 5.

X. Dubium est, an qui se exponit periculo peccandi, & deinde peccat, teneatur explicare utrumque peccatum?

Respondeo negative; quia exponere se periculo est quædam voluntas peccati sequentis. Unde quando ea moraliter conjunguntur, unum pec-

catum faciunt, ex Lug., Sanch. Leand.: Sicut unum est peccatum omittere orationem tempore gravis tentationis, & tentationi succumbere; ut iidem docent contra Sanc. Et ratio est, quia ex eodem præcepto, quo quis tenetur non peccare, tenetur vitare periculum proximum peccandi, & orare, quando ad vitandum peccatum oratio est necessaria.

XI. Dubitatur etiam, An qui peccat ex consuetudine, debeat circumstantiam hanc explicare?

Respondeo, quod licet teneatur pœnitens respondere confessario interroganti consuetudinem peccati, cum opposita sententia sit damnata ab Innocentio XI. in thesi 58., quæ habet: *Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem*; tamen, per se loquendo, non est aperienda hujusmodi circumstantia. Ita Suar., Lug., Perez contra Sylvest., & Sor.; tum quia tantum per hos Doctores est aperienda, in quantum importat periculum morale, & occasionem proximam ad peccata sequentia; Atqui jam diximus periculum peccandi proximum non esse aperiendum, ut novum peccatum, quando peccatum subsequitur, & facit unum moraliter cum illo; ergo ex hoc capite non tenetur peccator aperire circumstantiam consuetudinis peccati; (quamvis de illa debeat se accusare, si vi illius sit in proximo periculo peccandi, quin tamen deinde tale peccatum committat) Tum etiam quia, ut Perez, & alii norant, communiter homines non advertunt ad periculum proximum relabendi propter consuetudinem; nec facile discernunt, quando ad eum gradum devenit consuetudo, ut inducat periculum proximum. Expediit tamen, & sæpe tenetur peccator, ut advertunt Suar., & Perez, in remedium suæ conscientiam.

manifestare consuetudinem peccati; nam qui sæpe incidit in peccatum, verbi gratia, molliciei, quando vix aliud præsentius, & efficacius remedium habere potest, quam quod sæpe, imo pluries in hebdomada eidem confessario confiteatur, ut remedium hujusmodi, vel aliud simile injungatur, debet statum suæ conscientia, & consuetudinem peccandi aperire; Aliter peccator nolens remedium, & curationem procul dubio peccat.

Præterea, qui ex consuetudine jurat, & sine advertentia etiam pejerat, blasphematur, &c. quamvis tunc non peccet ratione inadvertentia, at tenetur hujusmodi consuetudinem tollere; quia est gravis irreverentia sæpe, & cum scandalo adducere Deum in testem falsi, & blasphemare, etiamsi materialiter: Quare hujusmodi consuetudo, nisi tollatur, aperienda est in confessione, ex Sanch. Lug., Pérez. Et confessarius sæpe debet absolutionem differre, donec experiatur, num pœnitens animum appulerit ad consuetudinem hanc tollendam, ut fufius diximus in expositione 60. thes. ab Innoc. XI. proscriptæ.

XII. Circa peccata commissa ex ignorantia dico cum communi, non differre specie peccata scienter commissa a commisis ex ignorantia culpabili; Unde tam qui, verbi gratia, noluit audire Sacrum die festo, quam qui noluit scire præceptum audiendi Sacrum, advertens ad debitum inquirendi, sufficienter exponit peccatum suum dicendo, Non audiui Sacrum die festo: Idque etiamsi revera non fuerit dies ille festus. Et ratio est, quia hujusmodi peccata non differunt in malitia objectiva, licet differant in modo voluntarii. Advertendum tamen, quod si sit casus reservatus, verbi gratia, omissio Sacri die festo, vel sit illi annexa excommuni-

catio, qui putans hodie esse diem festum non audit Sacrum, peccat quidem mortaliter; quia tamen revera non est dies festus, non incurrit reservationem, aut excommunicationem; nec illam incurrit, qui omittit Sacrum die festo putans erronee, omissioni Sacri annexam esse excommunicationem, aut reservationem.

XIII. Demum contemptus Superioris, & inobedientia, quando est gravis, sunt explicanda, quia aliud peccatum est transgressio præcepti, aliud vero gravis contemptus, & indignatio in Superiorem.

XIV. Ultima circumstantia, *Quando*, denotat tempus, quo peccatur, cum aliquando possint plura præcepta concurrere respicientia diversas virtutes; & denotat etiam durationem peccati, de qua jam diximus. In die festo, vel in hebdomada Sancta, aut die, quo quis Eucharistiam sumit, peccare, est circumstantia solum aggravans, non mutans speciem; secus vero die, verbi gratia, Parasceves exhibere publica spectacula; esset enim grave scandalum, & magna irreverentia debita tali diei. Qui tenetur ex voto jejunare, toties peccat, quoties eo die comedit carnes, ex Suar., & Azor. contra Sanch., Laym., Leand., & Dian., qui dicunt semel tantum peccare; eo quod vovens non per se voveat abstinere carnium, sed quatenus essentialiter includitur in jejunio, quod post primam carnium comestionem non potest amplius servari. Certum tamen est apud Doctores, quod qui comedit carnes die veneris, aut saturni, necnon diebus juniorum ab Ecclesia præceptorum, toties peccat, quoties illas comedit, eo quod præceptum negativum non comedendi carnes obligat semper, & ad semper tempore prohibito: Contra tamen qui bis in die jejunii comedit cibos quadragesimales, aut qui

se-

semel comedit carnes, non peccat amplius, si iterum comedat cibos quadragesimales; quia cum non possit amplius jejunare, seu unicam confessionem facere, non tenetur amplius ad jejunium.

ARTICULUS VI.

De integritate Confessionis quoad numerum peccatorum.

- I. Quonam pacto singula peccata in confessione explicanda sunt?
- II. Quomodo explicandus est numerus peccatorum interiorum, quando nil certi, aut probabilis deprehendi potest?
- III. Quid, si post praemissum sufficiens examen fiat confessio, ac deinde distinctior peccatorum numerus adverteatur?
- IV. Undenam desumatur unitas, vel pluralitas peccatorum?
- V. Quomodo moraliter interrumpantur actus tum interni, tum externi?
- VI. Num sit multiplex peccatum plures confessiones audire successive, aut plures communicare in statu peccati mortalis?
- VII. Qui die Nativitatis Domini tres missas celebrat in mortali, tria sacrilegia committit.
- VIII. Non peccat die jejunii, qui absoluta caena cum animo non amplius comedendi, mutata voluntate, paulo post pergit comedere.
- IX. Probabiliter unum numero peccatum committit, qui uno actu decem homines occidit; quamvis in eo actu decem homicidii malitia contineantur.
- X. Universim ex multiplicitate numerica objectorum multiplicatur quidem numerice malitia in eodem actu, sed non multiplicatur numerus peccatorum in confessione explicandus.

XI. Qui ter fornicatus est, debetne explicare, num cum eadem persona, an cum tribus?

EX Trident. constat, non solum species peccatorum, sed etiam singula peccata in individuo esse in confessione explicanda; Nam sess. 14. can. 7. haec habentur: *Si quis dixerit, in Sacramento penitentiae necessarium non esse jure divino confiteri omnia, & singula peccata mortalia, Anathema sit.* Et ratio est, quia in hoc Sacramento Confessarius Index est, & Medicus; ergo debent illi manifestari non solum species, sed etiam numerus peccatorum, ut possit apte judicare, & medicinam applicare; Nam, ut idem Trident. cap. 5. dicit: *Quod ignorat medicina non curat.* Certum autem est apud omnes, non requiri de singulis mortalibus in individuo & seorsim mentionem facere in confessione, sed satis esse, omnia uniuscujusque speciei in aliquo numero confiteri; dicendo, verbi gratia, decies pejeravi; Sic enim omnia, & singula peccata apte confitemur.

Quaritur nunc primo; Quomodo explicandus sit numerus peccatorum? Respondeo, quando quis scit numerum certum, debet illum explicare, dicendo, verbi gratia, decies blasphemavi; nec satis est dicere, blasphemavi pluries. Quod si facta morali diligentia, non possit assequi numerum certum, sed assequatur numerum aliquem, qui plus minulve parum creditur a certo numero distare, debet hoc pacto illum confiteri, dicendo, verbi gratia, blasphemavi decies circiter, ita ut si deinde certo deprehendat duodecies, verbi gratia, blasphemasse, non teneatur iterum numerum hunc certum confiteri, ut diximus quaest. 2. art. 3. cum de peccato dubio; ubi ostendimus, quantum habet latitudinem ly circiter.